

seu phrasin, examinetur interpretatio phraseas istius. 13. Si respondeat ad res, respondebit vel negando, vel rationem consequentiae exigendo, vel deniq; distinguendo. 14. Si respondeat negando, videat opponens num neget manifesta, vel minus manifesta. 15. Si neget manifesta, postuletur ratio, cur tam manifestam propositionem neget: quam si dare non possit, urgendus est argumentis ad absurdum ducentibus. 16. Si vero neget minus manifesta, probetur præmisfa negata. Ut plurimum autem negatur minor. Nam major ferme est axioma generale; minor autem, particulare. Particularia autem magis obnoxia sunt dubitationi, quam universalia. Si tamen negetur majoris universalitas, opponens dabit instantiam postulativam, h. e. petat sibi dari exemplum, per quod majoris universalitas infringatur. Quod si defendens nullam exceptionem dare possit, judicatur esse victus. 17. Porro si respondens neget consequentiam, opponens statim det rationem consequentiae. 18. Si respondeat distinguendo, seu limitando, opponens sciat difficile esse dare instantiam ad istiusmodi solutionem. Examinet igitur illam distinctionem secundum requisita limitationis, num sit perspicua, non-nugax, non-contradictoria; itemq; ipsius species, num sit limitatio generalis, vel specialis: &, si specialis, num uniformis, vel biformis: &, si biformis, num generica, partialis, vel accidentalis. 19. Ad extremum si indirecte respondeatur, respondebitur vel ad personam, vel ad rem. 20. Si ad personam, respondebitur vel increpatione, vel objectione criminis. Ibi opponens ostendat, se non disputare contra pietatem, vel honestatem; hic purget se & amoliatur crimen sibi objectum. 21. Si indirecte ad rem respondeatur, respondebitur vel per retorsionem, vel fortioris argumenti prolationem, vel per comparationem cum similiiter absurdo, vel per ostensionem contradictionis, vel per paris aut majoris autoritatis oppositionem. Hic opponens ostendet, rem ita se non habere, ut adversarius dicit: videlicet retorsionem nullam esse contradictionem nullam &c. Ad extremum opponens acquiescat in solutione, quam veram esse agnoscit.

Respondens est alius inferior, alius superior.